MEMORIÆ POSTHUMÆ
FOEMINÆ
LECTISSIMÆ CASTISSIMÆQVE,

D. BARBARÆ RECHELVIZIÆ,

VIRI NOBILISSIMI atq; AMPLISSIMI,

D. GEORGII HÜBENERI,

Regiæ Civitatis Thorunensis Cos.
& h. t. Prætoris, Scholarchæ, ut & Qvæstoris
gravissimi,
CONJUGIS DESIDERATISS.
Anno Æræ Christianæ M. DC. LXXVIII.
Prid. Id Septemb. in puerperio denatæ,
ac XVII. Kal. Octobr. ad D. Mariæ
solemni ritu tumulatæ,
tributum
à
Gymnasii Professoribus.

THORUNII *Imprimebat* Joh. Cœpselius, *G. T.*

SI qvid in humanâ miſerum vis dicere vitâ,
Ullum vix inter cætera majus erit;
Qvàm, qvod res etiam jucundæ, de qvibus alma
Gaudia ſperamus, deliciasqve meras,
Sæpius in caſus abeunt mœrore refertos;
Mellaqve dum pavidô dulcia corde cupis,
Nil capias aliud, qvàm triſtia fella dolorum,
Qvæ mentem, & corpus, reddere mœſta ſolent.
Rebus in humanis verò qvid gratius extat,
Conjuge qvàm caſtâ, qvàm qvoqve prole frui?
Hoc Princeps, miles, mercator, vulgus & optat,
Doctus & indoctus, ruſticus optat idem.
Hâc fini merîre vias, hâc rura fatigas,
Hâc Tibi difficilis vix labor ullus erit.
Sed qvantus Tibi ſæpè venit guſtandus amaror,
Qvando ſimul Fœtus, Mater & ipſa cadit.
Triſtius hoc Fatum, multi ſenſêre Piorum,
Qvod Te nunc pariter, VIR VENERANDE, premit.
Gaudia ſperabas, qvæ luctus prævenit ingens:
Mella in fella, eheu! degenerare vides!
Fœtus & uxor obit! Sed non obiiſſe vel illum,
Aut hanc, aſt magis hinc tantùm abiiſſe putes.
Hinc, ubi dulcorem ſemper comitantur acerba,
Hinc, ubi nec certum nec ſtabile omne bonum.

In

In Cœlos abiêre, putes, ubi Fœtus & Uxor
Jubila lætitiæ non peritura capit.
Tu Te nunc ostende VIRUM, qvi pectore firmo
Nubila, neve minus ferre serena qveat.
Nil periit, præiit potiùs par nobile, qvò nos
Olim, sed lætâ mente seqvemur eos.

Sympathiæ & consolationis ergò
l. mq. scr.

M. J. N.

Qvàm Tua præcipiti, VIR Consultissime, *luctu*
Gaudia diminuit deliciasq; DEUS!
Qvi modò Connubii seras Tibi Carmine tædas
Gratulor, ac primùm destino metra Patri:
Te fleo, qvod gemino pullatum funere cerno,
Et Matri & Soboli qvi citò justa facis.
Plena spei, carâ qvod Te factura parentem
Prole sit, ut pomis arbor onusta suis,
Concidit exanimis Tibi dilectissima Conjux,
Atqve domus Soboli fit tumulusq; suæ.
Occidit heu! viridi multùm fraudata juventâ,
Nec possunt nostræ flectere fata preces.
Nil ingens animus Sociæ, nil cognita virtus
Proficit, ut valeant fœdera sancta tori.
Qvi pretium ponis fidei, qvi moribus, hujus
Conjugii poteris de brevitate qveri.

Sed, si tam celeri fas est properâsse volatu,
Non aliâ decuit fata venire viâ.
Casta virago pio partu dum concidit, ipsa
Haud potuit letho nobiliore mori.

M. ERNESTUS König/ *Rector Gymn.*

QVis nunc, ô nostri, Venerande PATRONE Lycei,
Tristibus heu! lacrymis ora rigare vetet?
Luctisonos imo gemitus de pectore mitte;
Anxia crudeli pectora plange manu.
Ædibus infaustam mœstus præfige cupressum:
Atræ sit nocti concolor ipsa domus.
Nemo potest tantas meritò damnare qverelas,
Hos vitio planctus vertere nemo potest.
Decidit è claro nunqvam temerata corona
Vertice: subversa est firma columna domûs.
Occubuit Conjux, magnis virtutibus olim
Qvæ solita est totam condecorare domum.
Nulla dies unqvam, nulla unqvam transiit hora
Qvâ domus haud promptam senserit ejus opem.
Conjugii eduxit benè pignora cara prioris,
Inqve novum nulli cessit amore Virum.
Extollat laudetqve superstitiosa vetustas
Tot Grajas, Latias, Barbaricasqve nurus.
Non tamen Alcestis Nostram, non Iphias ipsa
Dotibus in multis exsuperare qveant.

Tan-

Tantas virtutes comitata eſt gratia cœli,
In Te transfundens divite cuncta ſinu.
Propterea Te felicem celebravimus omnes,
Cum conceſſa Tibi tanta marita fuit.
Sed nimium fallax harum conſtantia rerum
Humanas ſubitò vertere ſveta vices!
Alter conjugii tantummodò volvitur annus
Et jam cuncta ſimul præcipitata ruunt.
Dulcia ſperâſti ſocialis pignora lecti,
Qvæ generis veſtri ſera propago forent.
Nunc tollunt Sobolē, tollunt qvoq; Fata Parentem,
Deniq; ſpes tollunt contumulantq; tuas.
Hæc igitur qvidni poſſent excire dolorem
Hæc, hæc divinâ vulnera facta manu?
Non nego. Nec poſſum triſtes prohibere qverelas;
Eſt tamen in rebus certus ubiq; modus.
Deſine funeſtis igitur tua pectora curis,
Deſine crudeli dilacerare metu.
Amitti ne crede diem, ſunt altera nobis
Sidera, ſunt ſummi limina ſancta poli.
Hîc nos exſpectant poſt multas gaudia curas,
Exſpectant dulces perpetuiq; dies.

M. CHRISTOPH. Hartknoch/G. Prof.

ERgone dilectam, VENERANDE SCHOLARCHA, Maritam
Tu qvoq; jam tumulo condis, & ora rigas?
Tam citò Delicias nigri violentia fati
Suſtulit, atq; novi fœdera ſancta tori?

Spera-

Sperabas teneram dum, maxima gaudia, prolem,
Incrementa Domûs, dulcis amoris opes.
Dum propè ſcandebas felicis culmina Sortis,
Franguntur celſi, morte furente, gradus.
Nectareos nondum latices guſtare licebat,
Nec Bona, terreſtris qvæ Paradiſus habet:
Et jam luctus adeſt, Eurusq; Notusq; procellas
Attollunt, tremulam concutiuntq; ratem.
Examines uxor, Mater Sobolesqve tenella,
Ante oculos, eheu, corcula bina, jacent.
BARBARA Chara, Domûs rarum decus atq; corona,
Qvæ Tibi Abigail, Sara, Rebecca fuit.
Siccine ſunt hominum tenui pendentia filo
Omnia? Nil firmum ſiccine Mundus habet?
Qvid mirum, ſi qvis tanto ſpoliatus amore,
Vulneret ungve genas, fletibus ora lavet?
Dilectam velut Euridicen miſerabilis Orpheus
Qværens, ad ſtygios tranſiit usqve lacus.
Tartareum flexit Ditem, rabidasqve cohortes,
In lacrymas citharâ carminibusqve ſuis:
Sic qvoqve flebilibus moveas hominesq; Deosqve,
Planctibus, & luctu ſaxa ferasqve trahas.
Plangimus, heu, tecum, ſortem dolemus acerbam,
Et calido Cineri debita juſta damus.
O ſpes fallaces! ô gaudia vana! perennem
Nemo fortunam qværat in orbe ſibi.
Aſt licet hoc plenum mœroris Funus, & ipſa
Mors Sociæ nunqvam ſit lacrymanda ſatis:
Non tamen absqve DEO, qvi noſtræ tempora vitæ
Et necis æterno temperat arbitrio.
Plangendum paucis igitur, cum dedita ſimus
Turba DEO, qvi nos curat, amatqve Bonus.

Sic

Sic fuit in fatis, fuit hæc divina voluntas,
Cui contra nullus dicere debet homo.
Ut Domino placuit, ſic factum. Nomen honore
Illius ſanctum nos celebrare decet.
Credo, Tibi placuit vehementer cara Marita;
Cœleſti placuit ſed magis illa Patri.
Ætherio felix ea nunc ſpaciatur Olympo,
Et ſine fine, velut lucida ſtella, micat.
Ne, qvæſo, doleas, illam poſt triſtia fata,
Æternis opibus deliciisqve frui.
Omnipotens rerum Servator & Auctor ab ævo,
Sarciet hæc multo fœnore damna Tibi.
Atqve relictorum curam geret ille paternam,
Et dabit, ut poſt hæc nubila Phœbus eat.
Spes confiſa DEO neſcit confundere qvenqvam:
In lacrymis etiam læta venire ſolet.

In honorem piè defunctæ & ſolatium Nobiliſſ. Ampliſſimiq; Dn. VIDUI, σύνθρηνος appoſuit

WENCESLAUS JOHANNIDES,
Gymn. Thorun. P. P.

O Spes inanes! votaqve præcoci
Subverſa fato! Conſulis Optimi.
Rotatur Euripo dolorum,
Nec lacrymæ medicamen addunt.
Cùm triſtis iſto contumulat loco,
Cum prole Matrem, qvæ tumulus priùs
Eſt facta prolis qvàm Genitrix,
Excidium generis tuetur.

Sacro

Sacro Parentis tùm venerabili
Orbatur illo nomine, nec cluet
Maritus. Ut turtur gemiſcit,
Cùm Soboles perit, aut doloſis
Compar ligatur funibus aucupis;
Sic Conſul orbus Conjuge proleqve
Gemiſcet. Ut Cycnus ſagittâ
Saucius; ore canet lugubri.
Ah! unde threnos incipiam meos?
Qvæ prima ſe vox pectore proferet
Viasqve laxabit qverelis?
Cum mea, proh! cecidit Marita.
Nunqvamne poſthac amplius, ô mea,
Nunqvamne poſthac conſpiciam tuos
Vultûs amicos, Fila vitæ
Atropos & Lacheſis ſecatē.
Jamjam valebunt gaudia, tùm joci,
Et omneqvicqvid dulce fuit mihi.
Adeſte fletûs jam perennes.
Perpetui ſine lege luctûs
Adſint. Perennis regula caſuum
O ſempiterni provida numinis
Mens! ſumma ſternis derepentè
Et repetis data cùm placebit.
Reddo paternâ qvam dederas manu.
O Numen, & cum fœnore Conjugem.
Hâc in ruinâ tu memento
Me trepidum ſolidare Chriſte.

J. Rézik.